
MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA
NAZ. CENTRALE
DI FIRENZE
1034
38

XVIII

LVCHIN

1 ?

Ex legato D. [illegible] Antonii [illegible] [illegible]

A1

PAVLI ÆMYLII
LVCHINI BONONIEN.
ORATIO
In iustis funeribus CAMILLI PALAEOTTI, clarissimi Senatoris,

AD

ILLVSTRISSIMVM
BONONIENSIS STATVS REFORMAT. SENATVM.




BONONIAE,
Apud Hæredes Ioan. Rossij. MDXCVII.
Superiorum permissu.

PAVLI ÆMYLII
LVCHINI BONONIEN.
ORATIO
In iustis funebribus Camilli Palaeotti,
clarissimi Senatoris,

AD

ILLVSTRISSIMVM
BONONIENSIS STATVS
REFORMATORVM SENATVM.



BONONIAE,
Apud Alex. & Io. Rossii. M D [illegible] V I.

ILLVSTRISSIMO SENATVI BONONIENSI

Vexillifero, & Reformatoribus Status Libertatis Bononiæ.

Paulus Aemylius Luchinus. S. & Fel.




RATIONEM, *vestræ auctoritatis iussibus exorsã, edere hucusque moratus sum (Pat. Amplissimi) quòd vna cũ multis multorum vatum celeberrimis poematibus edendam iudicaram. Cum verò priuatæ meæ docendi occupationes passæ non sint, me illa, quæ foris instituebantur, vt instituta erant, percipere, volui lugubrationem, qua vestri amplissimi ordinis præstantissimum hominem, si non illustrari, quòd suis ipse meritis elucescat, at fideli memoria recenseri, mandaueratis, vlterius obdormire. Ve-*

ſtri ergo ſemper venerādi nominis præſidio fultā dimitto: non quo aliquam ex re tantula eſſe arbitrar exiſtimationem expectandam, ſed vt veſtris videar mandatis, mihi, omniq; bono, ſemper inuiolabilibus, obtemperaſſe, quæ non exigui ponderis exiſtimatio eſſe debet; & tanti etiam hominis auctoritati aliquam, fidus cliens, & familiaris, iudicer obſeruantiam reddidiſſe. Cuius, ſi coſpectum oculis intueri præſentibus non licebit, at prudentia, & in gerendis rebus conſilio bene ſano, in imagine ſua, ideſt in Galleaccio filio, Senatore veſtro, potiri concedetur. Quibus longam Deus Opt. Max. incolumitatem largiatur.

Ex ædibus noſtris priuatis, Milleſimo Quingenteſimo Nonageſimo Septimo.

PAVLI AEMYLII LVCHINI IN FVNERE PRAESTANTISS. SENATORIS CAMILLI PALÆOTTI ORATIO.



VOD in aduersa re alia qualibet seruare profiterer (Præstantißimi Auditores) vt aliquam fortitudinis, & constantiæ laudem, vel aliquod consolationis specimen præseferrem, id in præsenti acerbißima tanti viri iactura, & funere profiteri, immanitatis potius, quàm humanitatis, ac Bruti potius, quàm hominis, à Natura informati, officium eße indicarem. Ab innumeris enim mœroris, & angustiarum tenebris oppreßus rudis animus meus, atq; in æquißimi doloris magnitudine parum constans, nil poße, aut excelsum, & altum polliceri, aut ordinatum, & rectum pronuntiare, vnde aliqua vestris auribus futura satisfactio, vel dicenti meæ linguæ aliqua emanatura sit dignitas, cognoscit. Caußæ autem ab hoc pendent, quòd quicquid ego in hoc funesto munere peragendo, velut orationis scopum mihi eligerem prædicandum, vel eius, quem mortuum

tuum

tuũ deploramus, generosas actiones & merita infinita, vel temporis, in quo eius nobis iacturam pati contigit, qualitatem, vel ipsam meam, dicentis scilicet, personã, respicere oporteret. Et hæc omnia tamen, dispari quãuis ratione, talem penitus dolorem minitantur, vt, tentem quodlibet, præclusum mei muneris satisfactioni quẽque aditum perspiciam. Quod.n. ad te attinet, præstantissime omnium ætatum splendor Camille, cur cælestis terrestri; cur immortalis mortali, cur diuinus humana indiges exaltatione? qui animum potius quemlibet, vel optime comparatum, ad tuæ felicitatis, quod sic fortiter, occulueris, admirationem, quam ad tuæ mortis, quod Naturæ genitricis ordinibus extrema iam senectute moriendo satisfieceris, dolorem, deberes inuitare? si tempus etiam, Aud. in quo ille ex humanis rebus sublatus est, animaduerto, sic aptis nunquam, & affluentibus oculi mei lachrymis abundabunt, quin omnem prorsus lamentationẽ, & planctum, omnem etiam desperationem, & querellam, illa, quam passa vrbs nostra est, hoc viro per hoc tẽporis moriente, iactura longo superet interuallo. Afflicta.n. & propè desperata, multorum ciuium, plebisq; totius, conditione, annis iam tribus tam pestilenti annona grauiter pressis, hoc in capiendis consilijs bene prudens, in sustentandis periculis bene tutum, in applicandis malo cuilibet populari medicinis bene præstãs, columen, inexpectata morte surreptum amisisse, quid omnino

nino aliud existimandum erat; quam summa illa subsidia, quæ ille tam libenti animo suggerebat, summamq; illam in Dei pauperes caritatem, quam ille viuens piè tantùm exercuerat, irrecuperabilibus detrimentis amisisse? si verò etiã ad me ipsum, hoc funestæ laudationis munere functurum, cogitationem conuerto, nil profectò ex vlla obijci mihi parte perspicio, à quo innumeræ doloris ac gemitus occasiones non ministrentur. Etenim si Natura comparatam est, vt viros illos, quos insigni aliquo merito, vel publicè, vel priuatim florentes, etiam tarda, etiam miti, ex humanis rebus morte surreptos intelligimus, dolore, ac lachrymis prosequamur, nulli ego sane, qui viri huius, vel domesticus admirator, vel cultor diligens, vel studiosus obseruator, extiterit, acriori acerbitatis, ac doloris magnitudine lugendum esse arbitror, quã mihi. Nã, quamuis tota Ciuitas, & extra Ciuitatem docti omnes, Mecænatem suum vita functum acerbissimo animi sensu, ac gemitibus prosequantur, flebunt illi tamen quod vno tantum nomine, ac fama duce notumq; & celebre cognouerunt, ego autem quod præsens vidi, quod imis sensibus gustaui, quòd sæpe etiam admiratus, & ipsis quasi manibus, & domestica vitæ consuetudine, attrectaui, in immensa doloris, ac gemitus afflictione deplorabo. Diuina verò dolorem sic ratio superet, vt dum iustis alieni oculi lachrymis madebunt, illa ego, vel quæ presens ipsis meis oculis adspexi, vel paulo

lo supra memoriam meam auribus percepi, fideli renouata explicatione proponam. Stent nobis ergo duo illa præ ceteris Aud. quæ in funesto huius generis officio stare debent, & nos, dum tanti viri splendorem funebri oratione prosequimur, quem vt Italia penè tota præsentibus oculis intuita est, sic mundi pars maior fama notum aspicere desiderauit, non consuetis tantum, sed necessarijs etiam vehementer, officijs indulgere. quæ tanto à nobis videntur esse acrius suscipienda, & accuratius exequenda, quanto magis notum est, à nullo vnquam homine, à nulla vnquam ætate, ex quo Pericles apud Græcos Peloponesiaco bello mortuos milites laudatorio carmine celebrauit, ac Valerius apud Romanos Bruti laudes accuratissima oratione complexus est, funebres laudationes vel recusatas fuisse, vel interdictas. Et illas etiam humanæ beatitudinis partes, in quibus studiosè ac diligenter enixa est antiquitas bene docta; & si à Philosophis inter cætera nostræ conditionis bona numerentur, Patriæ scilicet, ac sanguinis claritatem, opes, & amicitias, quæ amplam tamen dicendi materiam dare solent, in huius viri dotibus explicandis omnino prætermittendas esse iudicare. Patria enim, quam tales animæ post mortem possident, est æterna, præsens verò, cum ab ipsis honestetur, ipsos honestare minime potest; Fortunæ, quibus fruuntur incorruptibiles; affines, diuini, ac familiares deniq; cælestes, qui nostra hæc tam prompta irrisio-

ne contemnunt, vt laudatores omnes, & omnes in hoc genere consumptas eloquentias, superflua potius putent ambitione perstringi, quam vel necessaria, vel vtili, oratione sustineri. Quare melius multo illi nobilitati, quæ à virtutum possessione pendet, quàm rebus illis, quæ à sanguinis, & prædecessorũ gentilium splendoribus emanant, insistendo, te, Camille, cuius nobile cadauer ante oculos nostros, tanti, tamq; acerbi doloris monumentũ, quam luctuoso, tam in Natura necessario, spectaculo contemplamur, hoc honesto funebris laudationis officio, vt fieri per me poterit, vindicabo. Cuius prima vita est tam splendide à teneris vsq; vnguiculis, & tam pruden ter instituta, vt presse nimis, & humiliter, languescere illam indolem iudicaret, quæ non assiduis bonorum studiorum culta laboribus agitaretur. Et hoc eius iudicium tanti apud viros principes fuit semper æstimatum, vt Alexandro patre I.V. Doct. vita functo, non illi quidem in Senatoria dignitate succederet, neq; enim per ætatem Senator esse poterat, sed amplissimis à Pontificia sede, nouo tunc vsq; exemplo, diplomatibus insignitus, quiquid honoris ac muneris, quiquid immunitatis ac fructus, Senatoribus lege traditur, ephæbo sibi honestissimis esse datum priuilegijs lætaretur: quousq; vigesimum ætatis annum vix attingens, qui Senatoriæ dignitati Bononiensis Senatus instituto præfinitus annus est, à Paulo III. fel. rec. Pontifice Maximo in Senatorum numerum est ele-

 ctus.

ctus. Quem Magistratum quanta animi æquitate, ac iustitia, quanta prudentia consilioq́; per quatuor & quinquaginta annos gesserit, multiplices illæ dignitates, quibus in gerendo illo publica ellectione functus est, attestantur. Vix numq; Senatoriam consequutus amplitudinem Romam ad Paulum IV. Pontificem creatum legationis munere destinatur. Ex quo monstrandi quantum in ingentibus negotijs prudentissimus iuuenis senili auctoritate valeret, occasionem aucupatus, aditum sibi ad maiora quotidie suis meritis exhibenda quam latissimum patefecit. Pauloq́; post suum à supradicta Legatione in patriam reditum ad Carolum Cardinalem Caraffam, Rhegium proficiscentem vna cum Illustrissimo Ioanne Pepulo, Senatore, ac Comite, concomitandum ellectus, tanta porrò cum ipsius Cardinalis voluptate in hoc munere se gessit, vt à Camilli consilijs in re nulla is sibi esse crederet recedendum; & quæ à Camillo comprobata, cuncta rectè; quæ verò etiam per eundem reprobata, cuncta malè, successura iudicaret. Neq; verò hanc ineuntis ætatis primordijs demonstratam, vehementis spiritus constantiam tantum cœpit, sed retinuit, sed auxit, sed ad illam etiam, quæ hominum esse potest, perfectionem, aduexit: vnde factum est, vt nulli ferè maximorum Pontificum, quousq; vixit, & optatus, & notus, & acceptus valdè, quod magis est, familiaris non extiterit, resq́; magnas & negotia cum ijs familia-

risi-

risʃime non habuerit. Itaq; cum Pio V. (cuius recordationis Pōtifice, Bone Deus!) patriæ partes ʃæpiʃsimè geʃʃit; ʃed anno potiʃsimum milleʃimo Sexageʃimo ʃeptuageʃimo Legatus Romæ reʃidens electus, ea omnia, quæ ad tantæ Ciuitatis commoda pertinebant, magna cum eius ʃancti hominis ʃatisfactione, tractauit. Orationem ad Gregorium XIII. conciuem, ac veterem ʃuum domeʃticum, habiturus, in tantam doctrinæ ʃamam creuit, vt maior auditorum, quàm alio quolibet oratore vnquam dicente, confluxiʃe credita ʃit multitudo: quam ante triginta ʃummorum Cardinalium conʃpectum ʃic orauit, vt ex ijs nullus fuiʃʃe poʃt paulo intelligeretur, quin eius eloquentiam admiratus, opes, auctoritatem, amicitias, præʃtanti eius excellentiæ non offerret; Ad eundem quoq; non multo poʃt, cum in patriam remeaʃʃet, orta inter Bononienʃes, & Ferrarienʃes de finibus contentione, Legationem publica electione ʃuʃcipere coactus, tanta cum exiʃtimatione, ac prudentia rem tractauit, vt non minoris ad ea, quæ volebat, à Pontifice referenda auctoritatis, quam doctrinæ, atq; animi ad eadem proferenda exuberauerat, abundaret. Gregorio ex humanis rebus ad cæleʃtes aʃʃumpto ʃucceʃʃit Xyʃtus: Qua non tui notitia, vir excelsè? Illuʃtriʃsimo enim S. Marcelli Cardinali Romam reuertenti comes datus nouo illi Xyʃto præʃtantiʃsimam in ʃexdecim Cardinalium conuentu habuit orationem: tanta ʃanè dicendi vbertate, ac

 copia,

copia, vt relatum concordi audientium voce fuerit, nulli vnquam tam attentas Pontificem aures oratori arrexisse, quam tunc temporis Camillo: hancq; sibi adeò arrisisse orationem testatus est, vt, quo insigne aliquid insignis hominis doctrinæ tribueretur, Fauentiæ, inter præcipuas Flaminiæ vrbes, Gubernatorem cum imperio libero pronunciaret. Vtinam verò à Xysto ad Clementem, nullo interposito Pontificatu, descendere mihi liceret: Neq; enim meum animum, sed, quid meũ animum dico? imò verò totius terræ ambitum, funebris illa intẽpestiua recordatio, quæ Castaneam illam tam vberem, tam iucundam, tam Christianæ Reipublicæ, si maturuisset, accommodatam, monstratam quidem, sed non concessam, exporrectam, at non datam; adnotatam, at non gustatam; Vniuersali forsan totius Ecclesiæ detrimẽto caduco flore surripuit, agitaret. Vix fuit ad summum summi Pontificatus fastigium exaltatus, cum in videndi, fruendi, & amplectendi Camilli cogitationem ingressus, domesticis eum litteris accersit: Proh dolor: accersitus profectionem parat; eq; patriæ mœnibus, me comite, præsente, & audiente; & ipsis etiam oculis aspiciente (quod sine lachrymis pronunciare non possum) vix egresso, per tabellarios est relatum, naturali corrupta dulcedine, Castaneam ad Cœlestia regna reuocatum. Quid de Clemente Octauo, quem sanctißimum Pontificem, & vigilantißimum Pastorem, Deus Opt. Max. incolumem

nem diutissimè seruet, enarrabo? Nec is sanè minus alijs suis prædecessoribus Pontificibus huius viri virtutibus tributurus fuisse, cum id Natura permisisset, iudicandus est. Cum enim Comissarios ad nostræ statum Reipublicæ, vel corrigendum, vel reformandum, eligere consultissimus Ecclesiasticæ familiæ pater sibi proposuisset, alium neminem in tali cura, in negotio tanto, in tractatione tàm graui, Camillo esse præferendum iudicauit; sed duobus additis huic seniori sapientiæ consiliorumq; consortibus, Rodulpho scilicet Bonfilio, & Ioãne Galleaccio Bargellino, viris omni honoris, & reuerentiæ titulo nominandis, hunc virum, vt in ætate, sic in Magistratu Antianum, tanto muneri sapientissime destinauit: quòd ei .s. notum erat, Iustum esse homines propter Iustitiam diligere, non propter homines Iustitiam posthabere. In cuius virtutis habitu hic præter hominũ conditionem exercitatus tantum fuit, tantumq; notus, vt, quasi alter Cæsar quinquies Consul, & hic quinquies Iustitiæ Vexillifer, magna cum patriæ, tum delectatione, tum fructu sit creatus. Nè ceteras eius virtutes, omni æuo concelebrandas, attingam; quas tantas, ni temporis ad dicendum constituti angustiæ præmerent, in eo viguisse demonstrarem, vt nulla sua sit actio animaduersa, quæ non perfectum aliquid, vel, ni diuinum, at superhumanum, penitus argumentaretur. Ex quibus tamen hæc silentio non inuoluenda; constantia .s. ac diui-

 nioris

nioris animi fortitudo; in hac n. præ ceteris is tantum va-luit, hac tantum oblectatus est, vt concordi omnium vo-ce, atq; aliquo etiam veritatis indicio, Illustrissimi Ga-brielis fratris sui ad summum Pontificatum assumptio-ne prænunciata, & pro certo etiam confirmata, eoq; ma-ximè tempore, cum ille in futuri Pontificis opinione ver-sabatur, non amplius sit commotus, quàm si de alio quo-libet, nec familiari, nec noto, illa opinio, illudq; nuntiũ, peruenisset. Pietatem verò, & in pauperes caritatem, relicta multa paterni affectus argumenta manifestant: præmentibus enim annonæ non tolerabilis angustijs, re-ceptacula ad puerulos, ne perirent suo sumptu sustentan-dos, & erudiendos, curauit instituenda. Puellas vir-gines, quot, ne cogente fame corrumpentur, necessarijs comparatis, impediuit? Particeps ego harum actionum, Aud. vos eius consiliorum participes reddere possum. In-temperantia verò, & moderatione, quis eius animum cognouit, quis vitam ponderauit, quis actiones intuitus est, & illum Tuberonibus, Curijs, Aemylijs, & ceteris illustrioribus verè temperati sæculi splendoribus, non cõ-parauit? Et in tot bonorum detrimentis erit aliquis, vel patriæ studiosus, vel ciuis, vel homo, iure merito no-minandus, qui non ploret, qui dolori terminum in deplo-ratione præfigit? Imò verò fera potius, & rusticus, & stipes, non dicetur, qui tanta hæc possidentis animi beati-tudine non lætetur? Eoq; magis, quod hæc repetens præfa

gus

gus animus est, illum, quem mortuum deploramus, non mortuum, sed ad meliorem æternitatis vitam iam renatum, quod ita mortuus est, quæ dicimus, audientem, quæque facimus aspicientem, diuinas illas cælestis patriæ beatitudines, quas bonæ sibi vita comparauerat, ascendisse. Sui enim mores tales extitere, tales semper cogitationes, & opera, vt cum non ea familia natus, ex qua tot foris equites, & duces, tot domi Senatores, & Doctores, in publicam vtilitatẽ patriæ, suiq; sanguinis exaltationem, non prodijssent, vt Syluetus, Vincentius, Bonauentura, Nicolaus, & tot alij, in publica ciuitatis Archiuia semper viui, semperq; florentes, & excelsi, fidẽ faciunt; cum ea non præditus eloquentia, vt quemadmodum Cato, Romanus Demosthenes, sic ac Camillus, Bononiensis Cicero, accommodato nomine diceretur; cum eo sanguine non prognatus, qui tot Pontificum, Regum, & Principum liberalitate gauisus est, vt præclara illa præ cæteris Enrici Britaniæ fidelissimi Regis Diplomata quibus Palæottam gentem insignibus Regijs liberalissime decorat, manifestant; cum non ea religione ita clarus, vt Eremum suæ tantum pietatis caussa, non voto vllo, aut vlla necessitate coactus, inuisisset; cum ea fama, qua litteras, litteratosq; semper fouit, & amplexatus semper est, non tantopere notus extitisset; vel suis ipse dotibus contentus, vel præstantissimo illo fratre, qui nunc, vt Solis inter sydera splendor purius, tum virtutum variarum

riarum excellentia, tum sanctitatis, & pietatis inter primos S. Matris Eccl. Cardines valde super hominũ conditionem præstantia celebrando, lætus, & in humanis honestißime degere, & ex ijsdem libentißime, vt planè fecit, decedere, debuisset. O ergo innumeris felicitatum cumulis fortunatißime Camille: hoc verò vno humanam longè superans fortunã, quod viuenti tibi eum honorum pariter: & onerũ successorẽ datum est intueri, vt in eo ipso imaginem tuam, in eius actionibus tuam mentem, in sapientia sua tuam gloriam, & in sua deniq; posteritate prolem tuæ gentis cerneres æternandam. De Galleaccio, dilecto tibi filio loquor; cuius indoles tãta extitisse cognita semper est, ingenium ita promptum, cogitationes ita puræ, animus deniq; sic generosus, sic alta cogitans, vt, si vera illa sunt, quæ doctus in Oreste cecinit Euripides, Beatum esse illum, qui beatus est in liberis, tibi omnia præsentis beatitudinis obsequia videantur adscribenda. Sed meliori hæc tempore, forsanq; opportunioribus commodis repetentur. Ego enim tot mæroris angustijs vndiq; circuncludor, vt in hisce mæstis tristitiæ funebris officijs, viris tantis laudatorem potentem, tantis meritis idoneam laudationem, & tantis deniq; virtutibus præstantem eloquentiam deficere non erubescam confiteri. Quæ, ne dicentis consilio, vt imbecillitati meritò tribuentur, sint ascripta, tu Camille, quem hic tam frequens luminum fulgor, hic templi huius tam


fune-

funebris apparatus, hæc circunstantiam auditorum corona præstantissima, venerantur, vt meam in terris humilitatem fouere præclarissimus homo nequaquam dedignatus es, sic nunc, Cælicola meritissimus, & me purges, & patriam, mecum morte tua in tot tenebris constitutam, fauenti oculo respiciens, adepta iam diuinitatis numine apud illum Deum fouere ne recuses, qui vbiq; omnipotens viuit, & regnat in sæcula sæculorum. Amen.



EIVS-


EIVSDEM ODE.





NTE *qui læti, cecinere vates,*
Nobilem claris titulis CAMILLVM,
Et PALAEOTTAE *sobolis nitorem*
Vindice plectro.
Nunc sonant mœsto variata cantu
Carmina, & leges supero notatas
Pollice, & Parcas stygijs parantes
Stamina fusis.
Ista conuersi facies honoris,
Questibus tantis grauiora promens,
Musa dic, quid nam referat, madenti
Concita fletu?
Occidit nostri decus omne sæcli,
Occidit doctæ columen Camœnæ,
Attica solum valuit quod alta
Dicere lingua.
Ille, qui vita Curium modesta,
Moribus Magnum retulit Catonem,
Doctus

Doctus & clari Ciceronis artes
Hausit honestas.
Cui boni legem dederat pudoris
Mens bona, vt rectu coleret, putans nil
Proprijs ciuem, Patria teneri
Remq; caputq;.
O nitens nostri speculum Senatus,
O senex cunctis venerande saeclis,
Tu manu immiti rapiere, & atra
Morte iacebis?
Quin, moram falsae spaciumq; vitae
Iure contemneris, meliora Caeli
Claustra scandisti, scelerata linquens
Gaudia Mundi.
Ergò, cur plorent Cytharae dolentes?
Cur canant maesti miseranda vates?
Si data est merces meritis Camilli
Digna supernis?



EIVSDEM
CARMEN.

DENSA igitur nostri decus indelebile sacli
Funeris, & gelidæ nubila mortis habent?
Fōs modo qui virtutis eras, splēdorq; Senatus
Felsinei, in paruo clauderis orbe cinis?
O fragiles hominū curas; quid vita valebit
Clara diu; hāc miseris si rapit hora fugax?
Nil fuit excelsum, cursu quod ametur in isto
Præcipua quo non præditus arte fores.
Lege tamen mortis cōmuni oppressa, Camille,
Pectus in egregium quæ viguere iacent.
Parcere Mors nescit: Quid. n. bene docta ve-
Nota si tollas, in sua facta tenet? *-tustas*

FINIS.

